

**DISSERTATIO**  
**INAUGURALIS MEDICA**  
**DE**  
**PNEUMONORRHAGIA**

**QUAM**  
**CONSENSU ET AUCTORITATE**  
**MAGNIFICI DOMINI**  
**PRAESIDIS ET DIRECTORIS**  
**SPECTABILIS DOMINI DECANI**

**ET**  
**CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM**

**PRO**

**DOCTORATUS MEDICINAE**  
**LAUREA**

**RITE CONSEQUENDA**  
**IN REGIA SCIENTIARUM**  
**UNIVERSITATE HUNGARICA**

**CONSCRIPSIT**

**ANTONIUS STEINER,**  
**HUNGARUS BIHARIENSIS.**

**In Theses calci adnexas disputabitur in aedibus Universitatis**  
**die Augusti 1834.**

---

**PESTHINI,**  
**TYPIIS JOSEPHI BEIMEL.**

EXCELLENTISSIMO AC ILLUSTRISSIMO

DOMINO COMITI

**FRANCISCO ZICHY**

**DE EADEM ET VÁSONKEŐ.**

IN. OR. LEOPOLDI IMPERATORIS COMMENDATORI, S. C. ET  
R. A. M. CAMERARIO, ACTUALI INT. STATUS CONSILIARIO,  
PER INC. REGNUM HUNGARIAE AGAZONUM REGALIIUM  
MAGISTRO, NEC NON IN. COTTUS BIHARIENSIS  
SUPREMO COMITI.

**V I R O**

**PRINCIPI ET PATRIAE**

**CARO, SCIENTIA,**

**MERITIS, AC BENEVOLENTIA**

**ILLUSTRI,**

**SUMMO LITTERARUM CULTORI**

**ET**

**PROMOTORI**

**MECOENATI GRATIOSISSIMO**

**IN PERENNE CULTUS MONUMENTUM**


**HOC SPECIMEN INAUGURALE**

**FIE OFFERT**

**DEVINCTISSIMUS, HUMILLIMUS**

**AUCTOR.**

**EXCELLENTISSIME AC ILLUSTRIS-  
SIME DOMINE COMES!**



**E** ludo egressus litterario, licet pluribus me devinctum sentiam, ast ni innumerorum quibus me cumulare dignatus es beneficiorum immemor esse velim, primum idque maximum EXCELLENTIAE TUAE deferendum habeo illimitatae gratitudinis meae testimonium.

EXCELLENTIA enim est, qui me crassis eripiendo ignorantiae tenebris, lucem conspiciere, et in naturae scientiis florem transigere vitae gratiosissime indulsit.

EXCELLENTIA est, qui per decursum curriculum medicum iam iam labentes vires novis continuo fulcire sacrificiis, ad'coeptique itineris iuga grate ferenda imbecilles ~~et~~ mare bumeros sapientissime novit.

**EXCELLENTIA** denique est, qui nullis parcens sumtibus, me in praemium laborum Doctoratus Medicinae Laurea ornare iussit.

Omnia igitur quae habeo, quae possideo, et quae fors in miserae collectantis gentis in futurum praestare valuero emolumenta, **TE VIR EXCELLENTISSIME** tamquam uberrimum agnoscunt fontem, **TIBIQUE** grata adscribendum habeo mente.

Suscipe nunc has tenues laborum meorum primitias, tamquam cunctorum beneficiorum **TUORUM** fructus, in perpetuae profundaequae venerationis, ac grati animi pignus, persvasusque esse velis, quod quaecunque me unquam recondat terra, gratissimum usque ad ultimum vitae meae halitum non exstingvi erga **TE** animum; id unice exorans, ut me amplo commissum oceano, adversus fluctuantes ejus gratiosissime in posterum quoque defendere velis undas

Pestini 28. Julii 1834.

devinctissimus  
AUCTOR.

# Pneumonorrhagia.

## §. 1.

**P**neumonorrhagia, Sputum sanguinis, Sputum cruentum, Cruenta exspuitio, Fluor sanguinis, Tussis cruenta, Reiectio sanguinis e pulmonibus Haemoptysis, Haemoptysmus, Haemoptoë, Emptoë, Emptoys, Passio haemoptoica, emptoica. Haemorrhagia pulmonum Hungaris: Vérköpés, Vérpökés, Germanis: Lungenblutfluss, Bluthusten, Blutsputten, Blutspeien, Blutausswurf. Gallis Hémoptysie, Cracher du sang, Crachement de sang, Expectoration de sang, Flux sanguin des poumons Italis: Emotossia, Sputo de sanguine. Anglis: Spitting of Blood.

## §. 2.

Dicitur in genere profluvium cruentum organorum respirationis. In specie tamen, pro varia e qua provenit parte, iam Laryngorrhagiae, dum e larynge, iam Tracheorrhagiae, dum e trachea, iam denique quod frequentissimum est, Pneumonorrhagiae, dum ex ipsis provenit pulmonibus, insigniri solet nomine. Profluvium hoc cruentum inter omnia, Epistaxim et Haemorrhoides excipiendo, frequentissimum esse, minime mirabimur; si ingentem sanguinis pulmones inundantis copiam, eorum motum continuum, fabricam teneram cum insigni irritabilitate ac sensibilitate copulatam, nec non continuum potentiarum externarum influxum, in censum sumserimus.

## D i a g n o s i s.

### §. 3.

Raro morbus absque ullis invadit aegrum prodromis, frequentissime sequentia praecedere solent prodroma: dolor transitorius, iam obtusus premens, iam

acutus pungens in larynge, trachea, aut alia pectoris parte; respiratio difficilis, anxietas, sensus ardoris in regione sternali; calor fugax, genae iam rubrae turgidae, calentes, iam iterum pallidae, frigidae; vertigo, Cephalaea gravativa; cordis palpitatio; oculorum scintillatio; aurium susurrus; somnus inquietus; tussis vehemens, aut tantum tussicula. — His breviori aut longiori tempore perdurantibus, vel saepe ex integro deficientibus, morbus aegrum repente invadit. Persentit quippe aeger subito horripilationem, frigus, cum calore insequenti; sensum titillationis in larynge, trachea, aut alia thoracis parte, ascensionem liquidi dulcis per tracheam et laryngem; quem insequitur eiectio sanguinis cum tussi subinde moderata, ita ut sanguis videatur rivo pleno, pacato, per tracheam et laryngem ascendere, et magis screatu, quam tussi evacuari; frequentius tamen tussi concomitatur vehementiori. Sub evacuatione calor animalis est ut plurimum exaltatus; pulsus frequens, durus. Quantitas reiecti sanguinis est iam maior, ita ut ad uncias, imo uonnunquam libras aestimari possit; iam vero minor, imo saepe minima, strias solum sanguinolentas offerens. Color sanguinis est iam laete ruber arteriosus, iam profunde ruber, nigricans, venosus, ab aëre admixto iam spumescens, iam coagulatus, grumosus conspicitur. Relate ad puritatem: iam purus, iam vero unco, sero, pure, aut ichore mixtus reperitur. Praeter allata hucdum symptomata, adsunt saepe talia, quae frequentius ut effectus terroris, quam ipsius iacturae sanguinis considerari possunt, qualia sunt: pallor faciei, frigus extremitatum, anxietas pectoris, sensus debilitatis, obnubilatio sensuum externorum, pulsus debilis, parvus. Nec rarum est eodem tempore, a defluente per oesophagum ad ventriculum cruore, vomitum cruentum observare. — Eiectionem sanguinis, breviori vel longiori tempore excurrentem, quies ut plurimum insequitur, symptomatibus prodromis imminutis, aut cessantibus. Frequentius tamen remanet dyspnoea cum respiratione strepitosa, et post brevioram aut longiorem moram haemorrhagia denuo recurrit. Variat autem haec relate ad quantitatem, ac qualitatem cruoris eiecti, relate ad durationem, re-

versionem, et symptomata ipsum profluvium concomitantia ac subsequencia, pro diversa pneumonorrhagiae natura.

#### §. 4.

Nec sufficit morbum generatim definire, sed oportet et locum haemorrhagiae assignare. Non raro morbus ad laryngem (Laryngorrhagia), aut tracheam (Tracheorrhagia) restringitur; ad quarum praesentiam concludimus: ex respiratione haud difficili, sensus ponderis ac doloris in pectore absentia; quantitate sanguinis parca; tussi nulla, vel minima; pruritu, aut ardore in quapiam tracheae aut laryngis regione praesente; voce sibilante; sanguine laete rubro, non spumoso, muco bronchiali remixto. Diagnosim tamen hanc saepe haud parum difficultant situs vasorum sanguinem fundentium profundior; cum in simili casu frequenter eveniat, ut sanguis e vasis trachealibus scaturiens, in bronchia delabatur, dyspnoeam, respirationem strepitosam concitet, et sub symptomatibus pneumonorrhagiae proprie sic dictae, sanguis spumescens tussi vehementiori eiiciatur, quo in casu sedem haemorrhagiae assignare vix valemus. Svadent quidem nonnulli, e pruritu et ardore in trachea obveniente, ad fontem sanguinis in conspectum prodeuntis concludendum esse a). — Pneumonorrhagiam proprie sic dictam produunt: tussis validior, sanguis spumosus, sensatio ascendentis vaporis calidi, eiectio sanguinis largior, dolores pectoris, respiratio difficilis etc. Quae quidem in haemoptysi passiva abesse solent, morbum tamen tunc ex propriis cognoscere valemus symptomatibus.

#### §. 5.

Licet morbum ex symptomatibus supra recensitis, maxima cum probabilitate cognoscere valeamus: diagnosis attamen eius haud raro magnis premitur difficultatibus, cum aliae quoque morborum formae eadem fere in lucem edere valeant symptomata; quare oportunum erit, eum a morbis analogis distingvere, et differentias intercedentes eruere. Sunt autem sequen-

a) Witringham in den Abhandlungen für practische Aerzte Band VIII. Seite 419.



tes morborum formae, faciem pneumonorrhagiae persaepe mentientes.

a) Epistaxis e postica cavi narium parte proveniens. Hanc quidem profluvium sanguinis absque tussi et screatu contingens manifeste testatur; obtingit tamen, ut cruore lente stillante, epiglottis irritetur, tussisque moveatur; absunt tamen in hoc morbo: difficultas respirationis, dolores pectoris. Locus ipse sanguinem fundens, sub accurata inspectione non raro detegitur, aut grumi sanguinis e posticis choanis narium dependentes conspiciuntur; adhibitis vero iniectionibus acidiusculis omne dubium tollitur.

b) Stomatorrhagia: in hac screatus, tussisque nulla, aut etiam his praesentibus, inclinato aegri antrorsum capite silent; locus sanguinem plorans inspecto ore facile conspicitur; sanguis est ut plurimum venosus, sero, aut muco mixtus: Symptomatibus scorbuti, haemorrhoeae petechialis quoque frequenter praesentibus.

c) Haematemesis. Gastrorrhagia, vomitus cruentus. Hanc haemorrhagiae speciem produnt: Sanguis ater venosus, non spumescens sed coagulatus, solutus, muco, bile, contentisque ventriculi mixtus, maiori quantitate vomitu tussi absente reiectus. Praeterea prodroma haemorrhagiam hanc praecurrentia, uti: pressio in scrobiculo cordis; spasmi turbae digestionis ardor ventriculi et hypochondriorum sensus plenitudinis in epigastrio, pulsatio, colica, palpitatio cordis; pulsus irregularis, vertigo, susurrus aurium; sudor frigidus, animi deliquia, quae cuncta cruore eiecto disappearant. His accedit, morbo huic frequentissime sexum sequiorem intra annum 30—35, raruis viros, rarissime infantes et senes subiici; nec tussim, screatum, nec solumque liquidi ascendentis, prout in pneumonorrhagia aegrum experiri.

d) Eiectio mucii bronchialis, colore ad eum cruoris accedente. Asserente C. Portal a), glandulae bronchiales saepe morbose intumescunt, mucumque atrum secernunt, qui sputa proprio induens colore, ansam largitur, morbum cum sputo confundendi cruento:

---

a) In den Abhandlungen f. pract. Aerzte. Vol. X. p. 109.

ast in hoc casu nulla aderunt pneumonorrhagiae symptomata, dein ipse quoque mucus aqua solutus, eam nigro, non autem rubro tingens colore, suam illustrandae diagnosi non denegat symbolam.

### §. 6.

Maxime essentialis, ab auctoribus celebrata, pneumonorrhagiae differentia est, ab indole seu caractere morbi desumpta; respectu cuius triplicem distingvimus.

a) Pneumonorrhagia activa, inflammatoria, (antiquioribus); Sthenica, hypersthenica (recentioribus) energica (J. P. Frank), Synocha (Hase et Reil). Symptomata eius sunt: signa congestionis in pectore, horripilationes cum calore alternantes; pulsus frequens, durus, ac fortis; urina parca, flammea; anxietas pectoris, respiratio difficilis, tussis; dolor pectoris punctorius, sensus ardoris sub osse sterni; his accedunt adhuc: rubor et turgor faciei; Vertigo, Cephalaea. Sanguis nimis plasticus, in coagulum pronus, crassam formans crustam pleuriticam. Ad haemorrhagiam, symptomata remittunt, aegrique status multum allevatur. Confirmant porro diagnosim indoles causarum, et effectus therapiae adhibitae.

b) Pneumonorrhagia characteris erethistici, spastici, asthenico—activi, typhi (Reil): in qua debilitas irritabilitati cordis arteriarumque iuncta adest. Differt a priori symptomatibus minus constantibus, et cum aliis, saepe oppositis, alternantibus. Cutis est hic ut plurimum sicca, frigida; urina spastica; rubor genarum circumscriptus; calor cum horripilatione et frigore alternat pulsus parvus, frequens, contractus, sensibilitas ac irritabilitas totius corporis, aut saltem pulmonum exaltata. Sanguis emissus minus plasticus, tarde coagulatur, tenuem, aut nullam formans crustam lardaceam, sub exordio exiguum, tardius vero vix ullum adferens aegro levamen. Confirmant ultro diagnosim: temperamentum irritabile, habitus aegri phthisicus.

c) Pneumonorrhagia passiva, asthenica, torpida, paralytica; e torpente cordis arteriarumque irritabilitate, et nimia sanguinis venositate proveniens. Produndunt hunc morbum: Venosa sanguinis indoles; absentia symptomatum pneumonorrhagiae characteris Sthe-

nici, aut Spasmodici; habitus aegri; morbus praesens, et praegressi; respiratio stertorosa, halitus foetidus; calor animalis imminutus; color cutis luridus, terreus; cutis laxa, sudore viscido tecta. Invadit frequentissime individua aetate fracta, habitu laxo, debili donata, sputo cruento saepius affecta. Occurrit quoque frequenter in feбри putrida; scorbuto; morbo maculoso Werlhoffii; phthisi; evacuationibus colliquativis aliarum organismi partium.

## A e t i o l o g i a .

### §. 7.

Causae pneumorrhagiae aliae sunt disponentes, excitantes aliae. Dispositio maximi semper in hoc morbo momenti, cum haud raro sola, aut in consortio leviorum causarum occasionalium, morbum provocare valeat, in exaltata irritabilitate ac sensibilitate totius systematis vasorum, sed imprimis eorum organa respirationis petentium consistit; quae saepius haereditaria, aut congenita, rarius acquisita esse consuevit. Ad haereditariam aut congenitam eiusmodi dispositionem concludere fas est, ex habitu phthisico, cuius signa sunt: gibbositas, pectus angustum, planum; exigua costarum et sterni prominentia; scapulae alatae; collum tenue; statura corporis procera temperamentum sanguineum; cutis tenera, alba, vasis sanguiferis per eam laete translucens; color capillorum flavus, iridis caeruleus; rubor genarum laetus; vox debilis, subtilis; larynx protuberans. Individua talia ad minimum applicitum stimulum, notabilibus torquentur versus encephalon congestionibus. Aetate tenera scrophulis, tineae capitis, aliisque id genus exposita sunt exanthematibus; tardius vero affliguntur catarrhis chronicis, sputis largioribus stipatis. His actas a 15—25 annum maximas struit vitae insidias, qua vitae periodo vitatis licet solerter causis excitantibus, frequenter in sputum incidunt cruentum; catarrhos contrahunt chronicos, saporem salsum, halitum foetidum inducentes; sputis non raro eiciunt globulos parvos, odoris admodum ingrati; ruborem genarum

offerunt circumscriptum (rosa phthisicorum, Schwind-suchtsrose), tandem accedunt motus febriles, cum doloribus pectoris punctoriis; quibus in dies increscentibus aegri miserine quoque multiplicantur. — Nec rara est, habitum phthisicum post partum acquirendi, occasio: per scrophulas rhachitidem, thoracula, artificia et occupationes varias, quibus pulmones nimis intenduntur; quare musici instrumenta flatilia tractantes, concionatores, sculptores, me aliorum politores, sutores, sartores, homines in fodinis laborantes a) etc. magna in hunc morbum gaudent dispositione.

## Causae excitantes.

### §. 8.

Hae pro varia pneumorrhagiae indole variant:

a) Pneumonorrhagiam activam excitare valent: aër purus, siccus, frigidus, oxygenio scatens; venti septemtrionales, aut e loco, septemtrionem inter et ortum intermedio, flantes, qui saepe morbum epidemice grassari faciunt; alimenta aromate multo condita, potulenta spirituosa; pharmaca stimulantia, aetherea, resinosa etc.; motus corporis excessivi; maior pulmonum intentio, per cantum, risum, saltum, vomitum, etc.; quo tandem spectant, laesiones mechanicae pulmonibus illatae.

b) Haemoptysim spasmodicam inducere solent: repentinae temperaturae aëris vicissitudines; maior humorum iactura, uti: sanguinis, spermatis, lactis, salivae etc.; suppressio fluxus catamenialis, aut haemorrhoidalis; frigus corpori aestuanti admissum; acida mineralia, imprimis chlorina; vapores venenorum metallicorum, arsenici, plumbi, cupri, mercurii; pulveres vegetabilium acrium: hellebori, arnicæ etc. Iluc spectant porro infarctus, obstructions viscerum abdominalium; degeneratio bilis; exanthemata retro-pulsa; secretiones vicariae suppressae; rheumatismus, arthritis e cuti disparentes. Denique huc referri merentur: ossificationes cordis, aortae, arteriarum; scir-

a) Ramazzini de morbis opificum.

rhus, calculi, tumores pulmonum; inspiratio vaporum acrium.

c) Haemoptysim passivam generant: aër impurus, humidus, exhalationibus animalium, effluviisque putridorum onustus; alimenta, potulenta corrupta, putrida; catarrhi chronici; febris putrida; scorbutus; nec non haemoptyses aliae neglectae, perverse curatae, mutata indole in hanc degenerare possunt.

## Causa proxima.

### §. 9.

Haec in casibus rarioribus in continui solutione consistit, cuius duas adducunt species: rhexim seu rupturam vasorum; et diabrosim seu erosionem vasorum ichore, aut alio quopiam principio acri. Olim omnem pneumonorrhagiam pro causa sui proxima hanc agnoscere crediderunt; donec Bichati, aliorumque disquisitionibus anatomico-pathologicis evictum fuisset, pneumonorrhagiam transsudationis ope longe frequentius contingere; et quidem iam per exiguos parietum vasorum sangviferorum poros - diapedesim; iam vero per ostia minima e sinibus vasorum haematophororum-anastomasim, seu potius secretionem morbosam; quo in casu loco mucii, vaporisque in trachea et bronchiis, nec non textu celluloso pulmonum, secretionem pathologica cruor secernitur, quae relate ad conditionem energiae vitalis eam sustentantis est activa, erethistica, aut torpida.

## Prognosis.

### §. 10.

Pneumonorrhagia in genere constituit morbum periculosum. Laticis quidem vitalis iactura raro est tanta, ut repentinum adferret periculum, nisi cum scorbuto, febre putrida, ruptura anevrysmatis, aut phthisi ulcerosa occurrat complicata. Tanto maiora vero a suppuratione pulmonum, et inde oriunda phthisi organismo imminet pericula. Quam nonnulli triplici oriri via, affirmant, nempe: vel ex rupto vase, et

inde orto vulnere, quod ab continuo pulmonum motu, aërisque accessum continuum consolidari nequit; vel in sequelam irritationis, a remanente et in degenerationem acrem ruente sanguinis particula; vel denique absque ulla praevia praecedente causa, in sequelam solius habitus phthisici. De his C. Richter (in opere laud. Vol. III. pag. 226.) sequentia adnotat: primus suppurationem inducendi modus vix probatur, cum videamus inquit vulnera pulmonum, iis, quae in haemoptysi locum habere possunt, notabiliora felicissime sanari; nec cruori in pulmonibus retento et degenerato adscribi posse affirmat, cum pulmones sani nil peregrini intra ambitum sui patiantur. Secundum C. Auctorem igitur habitus phthisicus in haemoptysi eo magis est pertimescendus, quo magis haec per illum inducitur, aut sustentatur. Nec tamen duo priora contemnenda sunt momenta, cum haud raro effectus malos producant, infaustumque sortiantur exitum.

#### §. 11.

Licet haemoptysim periculo plenius adnumerare liceat morbis, neque tamen semper lethalem nanciscitur exitum, imo subinde plane nullo stipatur periculo. Ita dum in homine sano, robusto, in sequelam plethorae contingit, nulla mala consecutaria habet; non secus haemoptoë vicario modo exortum minus est insidiosum. C. Richter refert casum, ubi haemoptysis per viginti quinque annos; omni mense lunari regulariter comparuit, quin ullam organismo intulisset labem. Interim pneumonorrhagiae tales innocuae multo rariores sunt, quia periculosae. Observationes enim docent, per sputum cruentum saepe hominem intra paucas horas enecari; dum nempe pneumonorrhagia nimis profusa est, tunc sanguis copiosissimus per os, naresque prorumpit, calor animalis est exaltatus, pulsus frequens, cordis palpitatio nimia, in pectore percipitur strepitus, similis illi aquae bullientis, sub haemorrhagia continuante: sensus externi obfuscantur, aeger evadit pallidus, extremitates frigidae, pulsus evadunt minimi, sudor comparet frigidus, accedunt animi deliquia, subin convulsiones, aeger incidit in asphyxiam, quae transit in mortem veram; hic

status a C. Laennek Apoplexia pulmonum nuncupatur. Haemorrhagia talis perniciosissima inducitur subin, per vasorum pulmonalium aneurysmate aut varice prehensorum rupturam; vel per nimiam eorum laxitatem, et summopere extinctam vitalitatem in febris putrida, scorbuto. Casus tamen pneumonorrhagiae talis rari sunt. Longe frequentius mors lenta inducitur, dum sanguis quantitate quidem minori, ast saepius repetita eiicitur, organismusque viribus sensim spoliatur: subtracto enim hocce principio vitali, vires magis labuntur, functiones langyebunt, donec ob insufficientem vitae stimulum circulus sileat, anima fugiat.

### §. 12.

In determinanda pneumonorrhagiae prognosi, sequentia adhuc respici merentur momenta:

a) *Indoles morbi* Haemoptysis enim activa faustiozem admittit prognosim, quam erethistica, haec rursus laetiozem quam torpida. Ast in haemoptysi activa febris valida, tussis intensa, dolor et anxietas pectoris magna prognosim multum restringunt; inflammationem enim intensam, in suppurationem facile ruentem demonstrant. Erethismo iuncta pneumonorrhagia periculosior est, si in subiecto phthisico occurrat, et frequentius redeat, quam si haec defuerint. Pneumonorrhagia torpida maximis premitur difficultatibus, praesertim si cum morbis indolis putridae complicatus exstiterit.

b) *Aetas aegri*. Individua iuniora tempore puertatis hocce morbo magis tentantur, quam viri 30<sup>um</sup> aetatis annum transgressi; cum in illis vasa ne dum satis firma maiori sanguinis tunc temporis in pulmones irruentis impetui resistere non valeant. Haemoptoë aetate proveciore comparens frequenter sistit functionem vicariam haemorrhoidum, aut Catameniorum a norma aberrantium, quo in casu prognosis a faciliiori aut difficiliori morbi suppressi restitutione dependet.

c) *Sexus*. Minus periculosa est feminis, quam viris; cum in casu priori congestiones sanguinis e pulmonibus ad partes genitales convertantur. In feminis gravidis, et puellis menstruis ne dum salutatis, hae-

moptysis non magnae est significationis; absoluto enim partu, catameniisque ingruentibus, teste observatione, silebit omnis pneumonorrhagia. Feminae in annis climactericis sputo cruento detentae, mox ei ut plurimum succumbunt.

d) Causa morbi. Faustior erit prognosis si causae leviores nec diu durantes praecesserint. Contrarium licet assumere praesagium, si habitus phthisicus praecesserit, aut per vitia organica cavi thoracis et abdominis morbus inductus exstiterit: hinc periculo plenissima est haemoptysis, quae absque nota causa in individuis habitu phthisico notatis erumpit, aut quae per ipsam iam praesentem phthisim excitata fuit.

e) Constitutio corporis. Hoc respectu habitus phthisicus, in morbosa pectoris conformatione nec non maiori organorum respirationis irritabilitate fundatus, infaustum aduittit praesagium.

f) Quantitas et qualitas sanguinis evacuati. Quo enim sanguis minori evacuatus quantitate, spissior, laete ruber, crassamque formans crustam lardaceam fuerit, eo maior spes boni eventus conceditur; e contra sanguis maiori reiectus quantitate, si laete ruber, ast tenuis aut plane resolutus niger conspicitur sinistrum de se promittit augurium; cum in simili casu erethisticus, aut plane torpidus subversetur morbi character.

g) Locus cruorem fundens. Hoc intuitu tracheorrhagia e vasis minoribus contingens est laetior, quam pneumonorrhagia proprie sic dicta; ast et tracheorrhagia e vasis maioribus prorumpens phthisim trachealem ut plurimum inducit.

h) Complicatio. Pneumonorrhagia simplex est mitior, quam complicata; haec autem cum morbis characteris sthenici complicata est faustioris eventus, quam si nota asthenica notentur. Ominosa est semper complicatio cum feбри putrida, scorbuto, catarrho chronico, asthmate, hydrothorace, et aliis chronicis organorum respirationis morbis.

i) Denique nisus in recidivas. Quo frequentius enim haemoptoë recurrit, eo certius excidium aegro parat.



## Therapia.

### §. 13.

In omni pneumonorrhagia per quamcunque causam generata prima indicatio est, ut excedentem sanguinis circulum compescamus, eumque tranquilliores reddamus; hoc scopo cingulis, collaribus, thoraculis, vestibusque corpus arctius stringentibus solutis, aegrum in situm semisedentarium capite et thorace quidquam elevatis collocamus; quietem corporis et animi commendamus; sermocinationem omnem ei interdicimus; stimulos externos: uti lucem nimiam, calorem excessivum, strepitumque arcemus; alimenta et potulenta tantum blandissima concedimus. His dein praemissis, therapiam indoli morbi adaequatam adornamus.

### §. 14.

In pneumonorrhagia activa saepe sola therapia negativa haemoptysim sopit, raro tamen intermissio haec constans esse solet, sed frequentissime haemorrhagia iterum revertitur; quare therapiam antiphlogisticam strictiorem in evacuatione sanguinis radicatum ei opponere cogimur. Et quidem quo febris est validior, pulsus durior, dolor pectoris et tussis intensior, eo maior venaessectionis adest necessitas; quantitas eiectionis nunquam cohibet phlebotomiam, dummodo symptomata debilitatis, maiori sanguinis iactura inductae: pulsus debilis; parvus, etc., absint. Quantitas sanguinis evacuandi ad mensuratur constitutioni aegri individuali, et intensitati morbi; communiter uncias sex usque libram evacuasse sufficit, quam tamen frequenter, febris valida cum haemorrhagia perdurante, bis, ter, imo quater repetere cogimur; in aegris tamen debilioribus sufficit uncias quatuor, tres, imo duas evacuare. Svadent nonnulli venaessectionem in brachio lateris affecti, alii vero (inter quos et C. Richter.) in partibus remotis extremitatibus inferioribus suscipiendam esse, quae posterior ob maiorem sic a thorace locum habentem revulsionem merito priori praeferenda, dummodo vena eligatur sat ampla. Nunquam vero

in alia suscipienda est organismi parte. In morbo ex suppresso fluxu haemorrhoidali vel menstruo orto, praemissa sanguinis evacuatione universali, hirudines ad pudenda, circa orificium ani; cucurbitulae cruentae autem ad internam superficiem femorum, os sacrum, aut perinaeum applicandae veniunt, quibus fluxum suppressum revocare non raro succedit. Topicae sanguinis depletiones indicantur, si fracto febris impetu topica symptomata adhuc perstiterint; quo in casu cucurbitulae thoraci imponendae praeferruntur, quibus spasmus quoque solvi contendit C. Richter.

#### §. 15.

Interne exhibemus, emollientia, mucilaginoso, oleosa, decoctum hordei cum oxymelle simplici, Syrupum rubi idaei, succo citri, saccharo; aut decoctum salep, althaeae, vel emulsionem tenuem e seminibus cucurbitarum, amygdalarum dulcium, melonum, cucumerum; vel emulsionem oleosam ex oleo amygdalarum, lini, ricini. His utiliter addimus nitrum, ob vim suam refrigerantem, solventem, nisumque plasticum coercentem. Huic referri merentur acida vegetabilia diluta: acetum, succus citri, acidum tartaricum etc. Praesente alvi constipatione conducunt eccoprotica mitiora, uti: pulpa tamarindorum, prunorum etc. cum enematibus.

#### §. 16.

Curam morbi suffulcimus diæta antiphlogistica, concedendo initio tantum iuscula tenuia, dein cum pane biscocto. oryza, hordeo perlato etc., serius fructus horaeos maturos in aqua coctos, radices dulces, acidulo dulces. Pro potu ordinamus aquam puram, vel succo citri, acido tartarico et saccharo copioso addito dulcificatam. Temperaturam externam procuramus moderate calidam, lectum duriusculum, situm semisedentarium; arcemus stimulos physicos, sermocinationes etc.

#### §. 17.

In pneumonorrhagia erethistica ante omnia quaeritur: an et hic sanguinis evacuationes sint licitae? an sint utiles? vel semper noxiae? Brunonis asseclae sanguinis depletiones hic semper noxias esse statuunt;

ast in praxi frequentes obveniunt casus, ubi totus aegri habitus, cum symptomatibus morbum concomitantibus: pulsu nempe contracto, frigore extremitatum, urina spastica etc., indolem morbi spasticam produunt, et tamen exaltata vasorum vitalitas, et maior sanguinis ad pulmones congestio sanguinem evacuare iubent. Habitus proin nervosus et phthisicus in genere sanguinis missionem non prohibent, quin imo unicum saepe in hac agnoscunt remedium phthisim praecavendi, nec rara est observandi occasio, individua habitu eiusmodi pravo donata, ingentem saepe absque noxa perferre sanguinis iacturam. Licet ex adverso non desint casus, ubi debilitas magna omnem interdicit sanguinis missionem; quare cunctae circumstantiae prius pervestigandae veniunt, antequam evacuationi sanguinis manum admoveamus, quae in hoc casu nunquam tam larga ac in pneumonorrhagia activa suscipienda erit.

§. 18.

Interna autem talia seligimus remedia, quae morbose exaltatam vasorum sangviferorum irritabilitatem compeacere valent, qualia non semper in uno adinvenimus pharmaco. C. Borsieri a) maxime commendat aquam frigidam cum abstinencia ab omni alio cibo et potu per aliquot dies, et si internus aquae frigidae non sufficeret usus, applicentur et externe pectori fomenta ex aqua frigida parata. Remedium certe potens est, et experientia multiplici probatum; nec tamen semper eius usum facere consultum est; experientia enim docuit, quod post usum eius haemorrhagia quidem cessavit, ast sequebatur rauco, tussis sicca, aponia, dolores in trachea et pectore, cum reliquis tracheitidis ac bronchitidis symptomatibus, quae frequenter in phthisim arti rebellem transiere. Aegro proin sudanti, in catarrhos et rheumatismos praedisposito usum aquae frigidae nunquam admittimus. Sub talibus circumstantiis porrigimus aegro emollientia blandissima, decoctum hordei, althaeae, Salep, emulsiones tenues; his votis minus respondentibus recurrimus ad acida, subin vegetabilia, uti: acetum, succum

a) Borsieri Inst. med. pract. Vol. IV. pag. 33. 34.

citri, acidum tartari; frequentius tamen adhibemus acida mineralia, C. Göden maxime commendat acidum phosphoricum, quod in uno gvavi casu nec nobis in Clinico denegavit opem; saepius tamen exhibemus acidum sulfuricum dilutum, in specie liquorem acidum Halleri in decocto emolliente ad guttas 30 — 60 cum syrupo rubi idaei. Acida haec etiam eo, quod sanguinis qualitatem in haemoptysi ut plurimum abnormem corrigant, utilia sunt.

### §. 19.

Ubi causae irritabilitatis morbose exaltatae in statu nervorum abnormi radicator, exhibemus narcotica. C. Harless a) contra omnem pneumonorrhagiam ut specificum commendat oleum hyoscyami coctum forma emulsionis; quod quidem saepe est proficuum, ninime tamen specificum. Saepe plus praestant: infusum aut decoctum Stipitum dulcamarae, extractum lactucae silvestris, hyoscyami, cicutaе, digitalis purpurea. quam imprimis I. P. et Jos. Frank laudant, et hic saepe cum utilitate exhibuimus, partim in pulvere, partim in infuso. Alias maiorem praestat effectum opium, iam purum forma pulveris vel pilularum, iam combinatum cum ipecacuanha aut acidis mineralibus, adultis pro nychthemero ad gr. semis — unum, vel tincturae opii simplicis guttas 7 — 14. Multum quoque aevo nostro in morbis organorum respirationis celebrantur: Aqua laurocerasi et acidum hydrocyanicum, quod ultimum ad guttas 4 — 6 — 8 — pro nychth. in decocto emolliente et hic in clinico cum optato exhibebatur effectus. His incassum tentatis, saepe usus sacchari saturni a gr. semis — tria in decocto emollienti, vel combinatum cum opio, prospero coronabatur eventu.

### §. 20.

Remediis allatis expectationi haud respondentibus, exhibemus remedia antagonistica: C. Rusch commendat salem communem, solvendo cochlearculo coffeaceo in aqua communi, et omni altera hora talem

a) Hufeland's Journal der practischen Heilkunde IX. Band 2. S. Seite 56.

dosim exhibendo. Maiorem adhuc effectum praestant: sal amarus, arcanum duplicatum, sal mirabilis Glauberi, eadem dosi ac sal communis concessi; — quae tubum intestinalem irritando, eandem in trachea et bronchiis excedentem antagonisticè imminuunt, et haemorrhagiam silere faciunt. Indicantur autem vel maxime alvo constipata. Si autem aeger iam diarrhoea laboret, tunc alia antagonisticè potius in auxilium vocantur: nempe pulv. rad. ipecacuanhae gr. j. — jj. in 12 partes dividendo, et omni altera hora unum pulverem exhibendo, efficacissima est saepe medicina. C. Odier refert, sibi ad pneumonorrhagiam sistendam frequentissime profuisse pulv. carb. vegeta. omni altera hora dr. j porrigendo. Quod ubi morbus per statum hepatis irritatum sustentatur, est certe remedium egregium. — Externis adnumerantur remediis: pediluvia tepida ex aqua simplici parata, vel eadem sale communi, cineribus, farina sem. sinapis impraegnata; sinapismi extremitatibus aut pectori imponendi; emplastrum cantharidum; emplastrum vel unguentum antimoniale; cucurbitulae siccae internae superficiei femorum adaptandae, quas iam Pater Medicinae Hippocrates commendavit.

#### §. 21.

Diaeta sub paroxysmo cum eadem haemoptysis activae convenit, serius vero magis nutriens concedenda; cavendo tamen ne usus stimulantium admittatur. Optime hoc scopo respondebunt mucilaginosi, decoctum Salep, Sago, iura carniū, ova sorbilla, gelatina, carnes tenerae, pro potu cerevisia bona. Quae saepius, sed parca dosi, exhibere consultum erit.

#### §. 22.

Therapia quidem hucdum exposita in longe plurimis casibus morbum tollere valet, occurrunt tamen casus, in quibus morbus characterem asthenicum, torpidum, aut paralyticum induens, remediis supra allatis haud cedit, sed largum stimulantium, roborantium, adstringentiumque usum exposcit. C. Selle contra omnem pneumonorrhagiam laudat solutionem nitri in spiritu vini rectificato, quod quidem in hoc casu profuisse po-

tuit, habemus tamen alia praestantiora pro hocce casu remedia, uti: acida mineralia, imprimis acidum sulfuricum dosi maiore; alumen in pulvere, sero lactis, aut decocto adstringente; Cinnamomum in pulvere aut tinctura, frequenter cum acido vitrioli diluto aut tinctura opii coniunctum; Cortex peruvianus varia forma exhibitus, radix ratanhia, tormentillae, bistortae, succus catechu, gummi kino. Instante paralyti remedia stimulantia, uti: Camphora, Moschus, Castoreum, Liqueores aetherei, Ammonia, Valeriana, Angelica, Serpentina, Arnica, vina generosa. Quamvis remedia haec in casibus nonnullis individualibus eximum praestent effectum; meminisse tamen oportet, characterem morbi usum stimulantium exposcentem, esse rarissimum, hoc vero absente omnia nunc allata pharmaca cane et angve peius vitanda erunt.

#### §. 23.

Diaeta. Aër sit purus, siccus, subfrigidus, crebro renovandus, effluvia putrida vaporibus acidis destruenda; corporis animique quies svadenda; alimenta magis nutrientia, aromate condita; pro potu aqua succo citri, aut acidis mineralibus remixta, vinum aqua temperatum sunt concedenda.

#### §. 24.

Morbo feliciter devicto, non illico omnis cura intermittenda erit, secus morbus facile revertitur; quare causas cunctas morbum generantes, sustentantes, aut recidivam eius provocare valentes exquirimus, iisque adaequatam therapiam continuamus. — Non raro ob peculiarem aegri dispositionem, ob effectum potentiarum nocentium adhuc perdurantem, status subinflammatorius vasorum pulmonalium perdurat, et dispositionem ad haemorrhagiam sustentat: in hoc casu methodus antiphlogistica mitior cum vitae regimine antiphlogistico continuari debet, et quam primum prodroma pneumorrhagiae adfuerint, evacuatio sangviuis instituenda erit, quae omni anno semel, bis, imo in nonnullis casibus omni mense moderate reiteranda erit; et per hanc therapiam diutius continuatam morbus ominosus saepe radicaliter sanatur. Prodest praeterea

ad statum abnormem sanguinis corrigendum, methodus solvens aestate suscipienda, uti: diaeta lactea; acidulae alcalinae quales sunt: Szalatnyenses (in Hungaria), Bilinenses (in Bohemia), Selteranae (in Germania). — Characterem morbi erethistico praesente; quem ex habitu corporis, symptomatibus, nec non indole potentiarum nocentium, et adhibitae therapiae effectu cognoscimus; usum iam acidorum mineralium, iam narcoticorum continuamus, prout causa irritabilitatis exaltatae in systemate haematophoro vel nervoso sita est; vitatis in simul causis circulum sanguinis accelerare valentibus. — In debilitate morbi torpida, praeter diaetetica supra allata, prosunt pharmaca blande roborantia, utpote: cent. minus, card. bened. sumitates millefolii, lichen Islandicum, cortex Chinae cum lacte; utiles sunt quoque acidulae blandae martiales, nempe: Rankenses, Paradienses, Fåredienses, Egeranae etc. fortiores uti: Bartfenses, Lublovienses, Pyromontanae Spadanae in plurimis casibus aegre feruntur.

#### §. 25.

Pneumonorrhagiae febris intermittens symptoma constituentem corticem peruvianum opponimus, adhibendo frequentissime muriatem chinini in connubio cum digitali purpurea. Ubi morbus excitatur per evacuationes habituales suppressas, vel per morbos e cuti disparentes; ibi revocatio profluviorum, irritatio cutis sua praestant commoda. Non raro pneumonorrhagia provocatur et sustentatur per infarctus abdominales, per alvi obstructions; tunc remedia solventia, purgantia mitiora diutius adhibita aqua Saisdshützensis, Pülnaviensis, clysmata Kaempfiiana cum motu corporis moderato suum invenient locum. C. Sydenham contra omnem pneumonorrhagiam maxime commendavit equitationem, asserens hocce remedium contra pneumonorrhagiam esse ita specificum, prout cortex peruvianus contra febrim intermittentem: certe pneumonorrhagiae hac methodo tractatae ab infarctibus haemorrhoidalibus fuerunt inductae, in quibus utilem fuisse perspicimus, sed in aliis haemoptysis Speciebus ut summe noxium remedium non adprobamus.

## §. 26.

Frequentissima causa haemoptysis, uti et recidivae illius est refrigerium, quo circulatio sanguinis in cuti impeditur, et congestio sanguinis in pulmones augetur; quare ad recidivam hanc impediendam irritabilitas cutis est imminuenda: svademus hoc scopo lotiones corporis cum aqua frigida, aestate balnea in fluvio aut lacu saepius adhibita, quae recidivam morbi saepe feliciter impediunt. Praestans hoc scopo a C. Cullen propositum remedium est, vestitus laneus (ex flanel) primo autumnno induendus, et nonnisi aestate incipiente deponendus; cuius frictione congestio in cuti fovetur, ea autem in pulmones impeditur. Subin ad recidivam morbi praecavendam antagonistica cutim irritantia longiori tempore sunt adhibenda, qualia sunt: cortex mezerei, emplastrum vesicatorium perpetuum, fenticuli, setacea; quae applicantur iam brachiis, iam parti alicui pectoris. Ita per haec remedia statui individuali accomodata morbum in plurimis casibus sanare, et recidivam eius feliciter impedire valemus; ubi vero morbus negligitur aut perversè tractatur, ibi frequentissime aegrum quidem sub insultu non enecat, sed in phthisim pulmonalem morbum atrocem coniicit.



## L i t e r a t u r a.

- J. P. Frank.* Epitome de cur. hom. morbis T. V. P. II. pag. 162. sq.
- Spangenberg.* Ueber die Blutflüsse in med. Hinsicht. Braunschweig, 1805.
- A. E. Büchner (resp. Klisch).* Diss. de Haemoptysi sua sponte mortalibus eveniente. Halac, 1765.
- P. H. Schroeder.* Diss. de Haemoptysi in genere et specialim eius nexu cum varia adversa ex hypochondriis valetudine (resp. *G. A. Gramberg*). Götting. 1776 rec. in *Schroederi* opusc. Vol. I. pag. 306. sq.
- Reinhard's (T. E.).* Abh. von d. Lungenblutflusse. Glogau, 1762. 8.
- Car. Linnæi* de hæmoptysi. Upsal, 1764.
- T. D. Beer.* Diss. de Pneumonorrhagia. Vindob.
- G. Mäday.* Diss. Inauguralis de Haemoptysi. Vindob. 1823.
- A. Huckell.* Diss. Inaug. de Haemoptysi. Vindob. 1829.
- Hayne* Diss. de hæmoptysi. Vindob. 1806.
- Pinel, (Ph.)* Professor an der Universität zu Paris, von den Blutflüssen im allgemeinen, dem Blutspen und Bluthrechen. a. d. *Franz. von Renard* und *Wittmann.* Leipzig, 1821.
- Pignat (L. C.),* sur l'hémoptysie. Paris 1809.
- Gutberlet et Reuss.* Momenta quaedam circa hæmoptysim. Diss. Wirceb. 1798.
- Guillemaut (I. J. P.).* Diss. sur l'hémoptysie, ou crachement de sang. Paris 1802.
- Richter (A. G.),* Speciell. Therap. III. Band.
- Cullen's* Anfangsgr. d. pract. Arzn. 2 Bd. S. 234.
- Alberti.* Diss. de hæmoptysi. Halae 1730.
- Behrends* Diss. de hæmoptysi Frank. ad Viad. 1302. etc.

## T h e s e s.

---

1) Asthma acutum Millari a Tracheitide acuta infantum essentialiter differt.

2) Negotium vaccinationis omni studio promoveri meretur.

3) Vita foetus in casibus dubiis vitae matris est postponenda.

4) Arthritis a Rheumatismo multum differt.

5) Ophthalmiae specificae tamquam symptoma morbi universalis latentis considerari nequeunt.

6) Exploratio virtutis medicamenti, ex alio, quam ex eius ad organismum aegrum relatione petita, manca est.

7) Non datur morbus penitus intermittens.

8) Docimasiae simul sumtae plurimum probant.

9) Enthelminthes originarie generatione aequivoca oriuntur.

10) In Cataracta oculi utriusque praestat prius unius operationem suscipere.

11) In tractandis morbis feminarum saepe plus prudentiae quam scientiae requiritur.

12) Contra nullum morbum existit remedium absolute specificum.

13) Sanitas absoluta non datur, sed tantum relativa.

14) Sanguinis motus ex solo codis impulsu haud explicandus.





10-0112-10-17 (1-17-11)

10-0112-10-17 (1-17-11)

10-0112-10-17 (1-17-11)

10-0112-10-17 (1-17-11)

10-0112-10-17 (1-17-11)

10-0112-10-17 (1-17-11)

10-0112-10-17 (1-17-11)

10-0112-10-17 (1-17-11)

10-0112-10-17 (1-17-11)

10-0112-10-17 (1-17-11)

10-0112-10-17 (1-17-11)

10-0112-10-17 (1-17-11)

10-0112-10-17 (1-17-11)

10-0112-10-17 (1-17-11)

10-0112-10-17 (1-17-11)